

III  
PATNENSIS-BHAGALPUEENSIS

DECRETUM

**De mutatione finium**

Cum ad bonum animarum provehendum expostulatum sit ut districtus vulgo « Chakai Revenue Thana » Dioecesi Bhagalpurensi adscribatur, Sacrum Consilium Christiano Nomini Propagando, accepto favorabili voto Exc.mi ac Rev.mi Domini Mariae Iosephi Lemieux, Archiepiscopi titulo Salditani atque Apostolici in India Pro-Nuntii, itemque consensu Exc.morum Ordinariorum, quorum interest, p[re] oculis habito, re mature perpensa, vigore facultatum sibi a Sanctissimo Domino Nostro Paulo Divina Providentia Pp. VI concessarum, oblatis precibus obsecundare censuit.

Qua de re idem Sacrum Dicasterium statuit ut districtus vulgo « Chakai Revenue Thana », usque adhuc pertinens ad Dioecesim Patnensem, ab ipsa separetur atque Dioecesi Bhagalpurensi uniatur et praesens ad rem Decretum confici iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, die 9 mensis octobris a. D. 1970.

g[eneris] SERGIUS PIGNEDOLI, Archiep. tit. Icon., *a Secretis*

Eduardus Pecoraio, *Subsecretarius*

**SACRA CONGREGATIO PRO CULTU DIVINO**

**Instructio tertia ad Constitutionem de Sacra Liturgia recte exsequendam**

Liturgicae instauraciones, quae ad exsequendam Concilii Vaticani II Constitutionem de sacra Liturgia antehac sunt effectae, Mysterii Eucharistici celebrationem potissimum spectant. In eo enim « totum bonum spirituale Ecclesiae continetur, ipse scilicet Christus, Pascha nostrum panisque vivus, per Carnem suam Spiritu Sancto vivificatam et vivificantem vitam praestans hominibus, qui ita invitantur et adducuntur ad

seipso, suos labores cunctasque res creatas una cum Ipso offerendos ».<sup>1</sup> Itemque renovata Missae sacrificii celebratio in coetibus liturgicis declarat id esse totius Ecclesiae vitae tamquam centrum, ad quod cetera opera ordinentur, atque adeo rituum instauratorum finem esse illam actionem pastoralem excitare, quae Liturgiam veluti culmen et fontem habeat, et paschale Christi mysterium vivere.<sup>2</sup>

Opus autem renovationis, per sexennium gradatim productum, transitum apparavit a praecedenti Liturgia ad eam quae nunc, edito Missali romano cum Ordine Missae et Institutione generali eidem adiecta, ita descriptiore ac pleniore forma proponitur, ut dici possit actioni pastorali-liturgicae novum iter, res magnas promittens, iam esse expeditum. Praeterea Ordo Lectionum Missae, nuper editus, atque formularum magna copia, quae Missali romano continetur, in Eucharistia celebranda ostium magnum aperiunt pluribus agendi potestatibus.

Etenim facultas aliquos textus eligendi et flexibiles rubricae sane celebrationi actuosae, acceptae ac spiritualiter salutari favent, cum eam ad locorum condiciones fideliumque ingenium et cultum accommodent, ideoque nihil erit opus inventis et arbitriis propriis uti, quibus celebratio ipsa extenuatur.

Gradatim autem factus transitus ad novas recentesque formas, qui tum universi operis instaurandi, tum magnae loci condicionum varietatis rationem habuit, benigne a maiore clericorum fideliumque parte exceptus est,<sup>3</sup> licet hic atque illic in quasdam recusationes et festinationes inciderit. Alii enim, veteris servandae traditionis causa, huiusmodi reformationes aegre acceperunt; alii vero, instante pastorali necessitate, nihil esse exspectandum censuerunt, dum ultimae instauraciones promulgaretur. Ex quo factum est, ut quidam ad privata incepta, ad festinatas compositiones, quandoque inconsultas, ad inventiones et additiones vel ad ritus simpliciores devenerint, quae haud raro praecipuis Liturgiae normis essent contraria; itemque fidelium conscientiam perturbarent atque ipsi rectae renovationis causae obessent vel eam difficiliorem redderent.

Quibus de causis, haud pauci Episcopi et sacerdotes atque laici homi-

<sup>1</sup> Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 5: A. A. S. 58 (1966), p. 997.

<sup>2</sup> Cfr. S. Congr. Rituum. Instr. *Inter Oecumenici*, 26 sept. 1964, nn. 5-6: A. A. S. 56 (1964), p. 878.

<sup>3</sup> Cfr. Paulus VI, Allocutio in Audientia generali, habita die 20 aug. 1969: *L'Osservatore Romano*, 21 agosto 1969.

nes, ut Apostolica Sedes suam auctoritatem interponeret, expetiverunt ad eum servandum et augendum in Liturgia secundum exspectatumque concentum, qui christianae familiae, coram Deo congregatae, proprius peculiarisque est.

Quapropter quod fieri visum non est, dum « Consilium » Liturgiae instauracionem efficiebat ac navabat, in praesenti fieri potest, iis omnibus attentis, quae firme ac definite statuuntur.

Ac primum ad singulorum auctoritatem Episcoporum est appellandum, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei,<sup>4</sup> quippe qui sint « praecipui dispensatores mysteriorum Dei, sicut et totius vitae liturgicae in Ecclesia sibi commissa moderatores, promotores atque custodes ».<sup>5</sup> Ipsorum enim est moderari, dirigere, instimulare, quandoque etiam arguere, semper vero illustrare rectae renovationis exsecutionem, pariterque consulere, ut universum Ecclesiae corpus eadem mente, in unitate caritatis, procedere valeat in dioecesi, in natione, in mundo. Quae Episcoporum opera hac in re necessaria et urgentior est ob intimas, quae Liturgiam inter et Fidem intercedunt, necessitudines, adeo ut, quod obsequium alteri exhibetur, in alteram redundet.

Hi igitur, liturgicis Commissionibus auxiliantibus, diligenter edoceantur de religiosa et sociali condicione fidelium, suis curis creditorum, de spiritualibus eorum necessitatibus, deque aptiore via illos adiuvandi, omnibusque utantur facultatibus quas novi dant ritus. Hac ratione expendere valent ea quae verae renovationi convenient vel adversantur, et ita caute ac sapienter agenda proponere et moderari, ut, iustis agnitis necessitatibus, integrum tamen opus secundum normas, novis legibus liturgicis editas, fiat.

Congrua enim rerum cognitio, quam Episcopi habent, non parvo auxilio est sacerdotibus in ministerio, quod sane in communione hierarchica est exsequendum,<sup>6</sup> eaque debitam reddit oboedientiam faciliorem, quae ad perfectiorem cultus significationem atque ad animarum sanctificationem postulatur.

Itaque, quo expeditior Episcoporum evadat munus apte exsequendi normas liturgicas, illas praesertim quae Institutione generali Missalis ro-

\* Cfr. *Act. 20, 28.*

<sup>5</sup> Decr. de Episcoporum munere *Christus Dominus*, n. 15: *A. A. S.* 58 (1966), pp. 679-680; Constitutio de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 22: *A. A. S.* 56 (1964), p. 106.

<sup>6</sup> Cf. Decr. de Presbyt. ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, n. 15: *A. A. S.* 58 (1966), pp. 1014-1015.

mani traduntur, utque in Eucharistia celebranda, quae Ecclesiae vitae momentum obtinet, veluti « signum unitatis, vinculum caritatis »,<sup>7</sup> et disciplina et ordo restituantur, opportunum visum est hasce regulas et hortationes, quae sequuntur, commemorare:

1. Normae recenter latae formulas, gestus, actus liturgicos simpliciores effecerunt, secundum principium illud in Constitutione de sacra Liturgia statutum: « Eitus nobili simplicitate fulgeant, sint brevitate perspicui et repetitiones inutiles évitent, sint fidelium captui accommodati, neque generatim multis indigeant explanationibus ».<sup>8</sup> Sed ne in huiusmodi quidem provincia praefiniti limites sunt transgrediendi: hoc enim qui faciant, Liturgiam sacris signis propriaque venustate exuunt, quae necessaria sunt ut in christianorum communitate salutis mysterium revera perficiatur, idemque sub velamine rerum visibilium, apta accedente catechesi, recte comprehendatur.

Sacrorum enim rituum instauratio nullo prorsus modo spectat ad *desaeralizationem*, quam vocant, nulloque vult esse argumento illi evenit, quem *mundi saecularizationem* appellant. Ideoque rituum dignitas et gravitas et sacra indoles serventur oportet.

Actionum liturgicarum vis non continetur in ritibus frequenter experiendis renovandisque vel etiam ad simpliciorem usque formam redigendis, verum tantum in verbo Dei et in mysterio, quod celebratur, altius perscrutandis, quorum praesentia rituum Ecclesiae observantia confirmatur, non vero iis, quae aliquis sacerdos, suo indulgens ingenio, statuat.

Prae oculis dein habeatur, privatas sacrorum rituum restitutiones, a sacerdote inductas, fidelium dignitatem laedere viamque patefacere ad individuales ac personales formas in sacris celebrandis, quae directe ad totam Ecclesiam pertinent.

Nam sacerdotis ministerium, universae Ecclesiae ministerium est, ideoque exerceri nequit nisi per oboedientiam et communionem cum hierarchia atque studio inserviendi Deo et fratribus. Indoles hierarchica Liturgiae, eius sacramentalis vis, et observantia fidelium communitati debita sane postulant, ut sacerdos suum in cultu munus expleat tamquam « fidelis minister et dispensator mysteriorum Dei »,<sup>9</sup> nullum inducens ritum quin libris liturgicis statuatur et approbetur.

2. Inter sacros textus, qui in coetu liturgico recitantur, divinae Scrip-

<sup>7</sup> *Constitutio de sacra Liturgia Sacrosanctum Concilium*, n. 47: *A. A. S.* 56 (1964), p. 113.

<sup>8</sup> *Ibid.*, n. 34: *A. A. S.* 56 (1964), p. 109.

<sup>9</sup> Cfr. *1 Cor.* 4, 1.

turae libri peculiari pollut dignitate: ibi enim Deus populum suum alloquitur, et Christus, suo in verbo praesens, Evangelium nuntiat.<sup>10</sup> Quapropter:

it) Liturgia verbi summa cura excolenda est. Numquam licet pro ea alias lectiones substituere, sive a sacris sive a profanis auctoribus, veteribus vel recentioribus, depromptas. Homiliae finis est nuntiatum Dei verbum fidelibus explanare et ad huius aetatis sensum accommodare. Ipsa proinde ad sacerdotem spectat; christifideles vero notationibus, dialogis, hisque similibus sese abstineant. Non licet unam tantummodo lectionem proferre.

b) Liturgia verbi eucharisticam liturgiam praeparat et ad eam dicit, quacum unum actum cultus efficit.<sup>11</sup> Quapropter alteram ab altera separare non licet, easque diverso tempore et loco celebrare.

Ad aliquam vero actionem liturgicam vel divini Officii partem, quae Missam praecedit, cum liturgia verbi apte coniungendam, peculiares normae, libris liturgicis statutae quatenus opus sit, consulent.

3. Etiam textus liturgici, qui ab Ecclesia compositi sunt, maximo cum honore sunt adhibendi: nemini igitur licet in iis proprio marte quidquam immutare, substituere, demere vel addere.<sup>12</sup>

a) Ordo Missae peculiari ratione est servandus. Formulae, quas continet, in publicis translationibus, nullo prorsus pacto, ne sub praetextu quidem Missae in cantu, immutari possunt. Quaedam autem eius partes, nempe actus paenitentialis, preces eucharisticae, acclamations, benedictio in fine Missae, ex variis diversisque formulis seligi possunt, prout suo loco in singulis ritibus notatur.

'b) Antiphonae ad introitum et ad communionem ex Graduali romano, ex Graduali simplici, ex Missali romano, atque ex textibus collectis, ab Episcoporum quidem Conferentiis approbatis, sumi possunt. Hae autem Conferentiae, in cantibus ad Missae celebrationem seligendis, prae oculis habeant non solum eorum congruentiam cum temporibus variisque adjunctis actionis liturgicae, verum etiam necessitatem fidelium, qui iisdem utantur.

G) Cantus populi omnibus viribus est fovendus, etiam novis adhbitis formis, ingenio populorum et hodierno hominis animo accommodatis. Episcoporum Conferentiae statuant aliquem cantuum indicem, qui

<sup>10</sup> Cfr. *Constitutio de sacra Liturgia Sacrosanctum Concilium*, nn. 7, 33: *A. A. S.* 56 (1964), pp. 100-101, 108.

<sup>11</sup> Cfr. *Ibid.*, n. 56: *A. A. S.* 56 (1964), p. 115.

<sup>12</sup> Cfr. *Ibid.*, n. 22, 3: *A. A. S.* 56 (1964), p. 106.

in Missis pro-coetibus particularibus, v. gr. iuvenum et puerorum, adhibentur, quique non solum verbis, verum etiam melodia, rhythmo et instrumentorum usu, loci ac divini cultus dignitati et sanctitati respondant.

Nam, quamvis Ecclesia nullum genus musicae sacrae ab actionibus liturgicis arceat,<sup>13</sup> attamen non quaevis musica vel cantus aut instrumentorum sonitus, ad alendam orationem Christique mysterium exprimendum, eodem gradu apta sunt habenda. Horum enim munus ad cultum divinum celebrandum ordinatur, ideoque sanctitate et bonitate formarum praedita sint oportet,<sup>14</sup> spiritui actionis liturgicae et naturae singularum eius partium respondeant, totius coetus actuosam participationem non impediant,<sup>15</sup> atque attentionem mentis et affectum cordis ad sacra quae aguntur dirigant.

Res pressius determinare ad Conferentias Episcopales vel, normis generalibus deficientibus, ad Episcopos in propriae dioecesis finibus spectat.<sup>16</sup> Omni cura insuper seligantur instrumenta musica, numero circumscripta, loco et indoli communitatis congruentia, quae pietatem foveant neque nimium strepitum edant.

*d)* Magna conceditur facultas orationes eligendi, quae, praesertim feriis infra hebdomadas *per annum*, sumi possunt aut ex una qualibet de triginta quattuor hebdomadibus aut ex Missis *ad diversa*<sup>17</sup> vel votivis.

Praeterea, in convertendis textibus, Episcoporum Conferentiae uti valent peculiaribus normis, hac in re traditis per Instructionem de textibus liturgicis vulgariter convertendis quod ad celebrationem una cum populo attinet, quam die 25 ianuarii 1969, n. 34, *Consilium* edidit.<sup>18</sup>

*e)* Quod autem ad lectiones spectat, praeter illas quae cuique dominicae, festo et feriae attribuuntur, nonnullae habentur, quae in Sacramentis celebrandis vel in particularibus rerum adjunctis usurpari possunt. In Missis vero pro coetibus particularibus, licet textus peculiares cele-

<sup>13</sup> Cfr. S. Congr. Rituum, Instr., de Musica sacra *Musicam sacram*, 5 martii 1967, n. 9; A. A. S. 59 (1967), p. 303; Constitutio de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 116; A. A. S. 56 (1964), p. 131.

<sup>14</sup> Cfr. S. Congr. Rituum, Instr., de Musica sacra *Musicam sacram*, n. 4; A. A. S. 59 (1967), p. 301.

<sup>15</sup> Cfr. Constitutio de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, nn. 119-120; A. A. S. 56 (1964), p. 130.

<sup>16</sup> Cfr. S. Congr. Rituum, Instr., de Musica sacra *Musicam sacram*, n. 9; A. A. S. 59 (1967), p. 303.

<sup>17</sup> Cfr. *Institutio generalis Missalis romani*, n. 323.

<sup>18</sup> Cfr. *Notitiae* 5 (1969), pp. 9-10; cfr. etiam nn. 21-24: *ibid.*, pp. 7-8.

brationi aptiores seligere, dummodo ex approbati Lectionarii textibus seligantur.<sup>19</sup>

/) Inter Missae celebrationem sacerdos quam brevissime populum alioqui potest, scilicet in ipso initio, ante lectiones, ante praefationem et antequam populum dimitat.<sup>20</sup> Attamen in liturgia eucharistica a motionibus includendis abstineat. Verba autem, de quibus supra, brevia sint atque efficacia, quippe quae antea sint cogitata. Quodsi aliae adhuc admonitiones necessariae sint, eae moderatori sacri coetus committantur, dummodo quaevi vitetur nimetas itque tantum ab eo dicatur, quod revera necessarium est.

g) In oratione universalis seu oratione fidelium opportunum est peculiarem aliquam intentionem, ad loci communitatem pertinentem, iis addere, quae pro Ecclesia, mundo et gentibus dicuntur. Caveatur igitur, ne aliae intentiones in Canonem romanum pro *Memento* vivorum et mortuorum inserantur. Illae autem intentiones sint antea et paratae et scriptae, atque huic generi dicendi consentaneae.<sup>21</sup> Earum publica lectio committi potest uni vel pluribus eorum, qui coetui liturgico intersunt.

Hae facultates, si cognitae sapienter adhibeantur, sat amplam copiam praebent, ita ut nullo modo ad inventiones, cuiusvis proprias personae, sit deveniendum. Proinde sacerdotes instituantur, ut suam celebrationem praeparent, rationem habentes tum rerum condicionum tum spiritualium fidelium necessitatum et intra limites, ab *Institutione* statutos, fidenti animo agentes.

4. Prex Eucharistica, pae ceteris Missae partibus, ad sacerdotem tantum, pro eius munere, pertinet.<sup>22</sup> Vetatur proinde aliqua eius pars a ministro inferiore, a coetu aut ab aliquo fideli recitari. Id enim est a natura hierarchica liturgiae alienum, in qua quisque solum et totum id agat oportet, quod ad ipsum pertinet.<sup>23</sup> Prex igitur Eucharistica a solo sacerdote est ex toto recitanda.

5. Panis ad Eucharistiam celebrandam triticeus et, iuxta perantiquum Ecclesiae latinae morem, azymus est.<sup>24</sup>

Quamvis veritas signi postulet ut tamquam verus cibus appareat,

<sup>19</sup> Cfr. S. Congr. pro Cultu Divino, Instr, de Missis pro Coetibus particularibus *Actio pastoralis*, 15 maii 1969, n. 6, e: *A. A. S.* 61 (1969), p. 809.

<sup>20</sup> Cfr. *Institutio generalis Missalis romani*, n. 11.

<sup>21</sup> Cfr. *Ibid.*, nu. 45-46.

<sup>22</sup> Cfr. *Ibid.*, n. 10.

<sup>23</sup> Cfr. Constitutio de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 28: *A. A. S.* 56 (1964), p. 107.

<sup>24</sup> Cfr. *Institutio generalis Missalis romani*, n. 282.

qui frangitur et dividitur inter fratres, tamen *semper* forma tradita conficiendus est, iuxta normam Institutionis generalis Missalis romani,<sup>25</sup> sive agatur de parvis hostiis pro fidelium Communione sive de hostiis maioris formae, in partes deinde frangendis.

Maior veritatis necessitas refertur potius ad colorem, saporem, spissitatem, quam ad formam. Ob reverentiam Sacramento debitam in confiendo pane pro Eucharistia omnis cura ac diligentia adhibenda est, ut cum decore frangi possit neque, in manducatione, sensus fidelium offendatur. Panis, qui incoctam farinam sapiat, qui mature obdurescat nec iam comedи possit, omnino vitetur.

Insuper panis consecrati fractio, eiusdemque panis necnon vini consecrati consummatio, sive in Communione peragenda sive in iis sumendis quae post Communionem forte supersint, fiant maxima reverentia quae Sacramentum decet.<sup>26</sup>

6. Sacri signi ratione perfectior fidelium participatio per Communionem sub utraque specie exprimitur.<sup>27</sup> Huiusmodi Communio conceditur solum intra fines Institutionis generalis Missalis romani (n. 242) statutos, et ad normam Instructionis S. Congregationis pro Cultu Divino de ampliore facultate sacrae Communionis sub utraque specie administrandae, */Sacramentali Communione*, die 29 iunii 1970 editae.

Proinde:

a) Ordinarii facultatem indiscriminatim ne concedant, sed casus et celebrationem, intra fines a Conferentia Episcopali statutos, plane definiant. Vitentur occasiones in quibus magnus adest communicantium numerus. Immo coetus sint bene circumscripsi, ordinati et eiusdem naturae.

b) Fideles, antequam ad sacram Communionem sub utraque specie suscipiendam admittantur, sedulo edoceantur, ut eius sensum intime percipiant.

c) Cum Communio sumitur ex ipso calice, praesto sint sacerdotes vel diaconi aut acolythi, in ordine acolythatus constituti, qui calicem communicantibus porrigant. Quodsi ministri deficiant, celebranti ritus, in Institutione generali Missalis romani, sub n. 245, descriptus, servandus est.

Probanda non videtur ratio agendi, qua fit ut calicem alter alteri tra-

<sup>25</sup> Cfr. *Ibid.*, n. 283.

<sup>26</sup> Cfr. *S. Congr. Rituum, Instr. de Cultu Mysterii eucharistici Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, n. 48: *A. A. S.* 59 (1967), p. 566.

<sup>27</sup> Cfr. *Institutio generalis Missalis romani*, n. 240.

dat, aut communicantes directe ad calicem accedant, Sanguinem sumpturi. In huiusmodi casibus preeferatur Communio per intinctionem.

*d)* Est imprimis sacerdotis celebrantis Communionem ministrare, deinde diaconi, et, quibusdam in casibus a competenti Auctoritate statuendis, acolythi. Sancta Sedes concedere potest ut aliae quoque cognitae et probae personae, quae mandatum habuerint, ad hoc destinentur. Non licet autem Communionem ab iis qui hoc mandatum non habeant distribui, aut vasa sacra cum SS. Sacramento deferri.

Quoad vero modum S. Communionem distribuendi, ea serventur, quae Institutione generali Missalis romani (nn. 244-252) et predicta Instructione die 29 iunii 1970 ab hac S. Congregatione edita statuuntur. Si vero modus S. Communionem distribuendi a tradito more alienus conceditur, condiciones ab Apostolica Sede statutae serventur.

*e)* Ubi deficientibus presbyteris, aliae personae, veluti praesertim in missionibus, catechistae, ab Episcopo, de venia Apostolicae Sedis, ad liturgiam verbi celebrandam et sacram Communionem distribuendam deputantur, a proferenda Prece eucharistica omnino abstineant. Si forte narrationem institutionis Eucharistiae legere opportunum duxerint, eam adhibeant uti lectionem in liturgia verbi. Proinde in supradictis coetibus fidelium, liturgia verbi celebrata, dicatur *Pater noster* et sacra Communio distribuatur ritu praescripto.

*f)* Quicumque modus eligitur, curetur, ut S. Communio cum dignitate, pietate et decore ministretur atque minoris reverentiae pericula vitentur, attentis indole cuiusque coetus liturgici et aetate et condicionibus ac praeparatione suscipientium.<sup>28</sup>

7. Iuxta liturgicas normas in Ecclesia traditas, vetantur mulieres (puellae, nuptae, religiosae), ne in ecclesiis quidem, domibus, conventibus, collegiis, institutis muliebribus, ad altare sacerdoti inservire.

Mulieribus autem licet secundum normas de his rebus latas:

*a)* lectiones proferre, Evangelio excepto. Munus obeant hodiernis instrumentis technicis adhibitis, ita ut commode ab omnibus audiri valent. Conferentiae Episcopales pressius determinare possunt locum congruum, e quo verbum Dei mulieres in coetu liturgico annuntient;

*b)* intentiones orationis universalis proferre;

*c)* liturgici coetus cantum moderari et organum aut instrumenta permissa pulsare;

<sup>28</sup> Cfr. S. Congr. pro Cultu Divino, Instr, de ampliore facultate sacrae Communionis sub utraque specie administrandae *Sacramentali Communione*, 29 iunii 1970, n. 6; A. A. S. 62 (1970), p. 665.

*d) monitiones (seu didascalias) legere, quae fideles adiuvent ad ritum melius intellegendum;*

*e) munera quaedam obire in servitium congregationis fidelium, quae alicubi etiam mulieribus committi solent, ex. gr. fideles ad portas ecclesiae recipere eosque in locis ipsis convenientibus disponere, atque eorum processiones ordinare, aut stipes in ecclesia collegere.<sup>29</sup>*

8. Yasa sacra, paramenta et sacra supellex in peculiari honore et cura habeantur. Quodsi maior libertas tribuitur quod attinet ad eorum materiam et formam, id propterea fit, ut variae gentes atque artifices amplissima donentur facultate ingenii sui optimas vires sacro cultui impendendi.

Haec tamen prae oculis habeantur:

*a) Res ad cultum pertinentes esse debent semper « nobiles, durabiles, usui sacro bene accommodatae ».<sup>30</sup> Non licet proinde usitatas et vulgares supellectiles adhibere.*

*b) Calices et patenae, antequam usurpentur, ab Episcopo consecranda sunt, qui iudicabit an ad usum, cui destinantur, sint idonea.*

*c) « Vestis sacra, omnibus ministris cuiusvis gradus communis, est alba ».<sup>31</sup> Reprobatur abusus Missam celebrandi vel etiam concelebrandi cum stola super « cucullam » monasticam, vel super vestem ordinariam clericalem, nedum civilem. Non licet pariter sacras alias actiones peragere, veluti manus imponere in Ordinibus conferendis, "vel alia Sacraenta administrare, aut benedictiones impertire, sola adhibita stola super vestes, ut aiunt, civiles.*

*d) Ad Conferentias Episcopales pertinet decernere an oporteat selligere materias sacrae supellectilis, praeter eas quae usu sunt traditae. De his autem deliberationibus Apostolicam Sedem certiorem faciant.<sup>32</sup>*

Ad formam sacrarum vestium quod attinet, Conferentiae Episcopales possunt definire et proponere Apostolicae Sedi aptationes, quae necessitatibus et moribus singularum regionum respondeant.<sup>33</sup>

9. Eucharistia celebratur, pro more, in loco sacro.<sup>34</sup> Non licet sine vera necessitate, quam Ordinarius pro sua iurisdictione diiudicabit, extra ecclesiam celebrare. Si autem id Ordinarius permittat, curetur ut dignus locus eligatur atque ut actio sacra supra convenientem mensam peragatur.

<sup>29</sup> Cfr. *Institutio generalis Missalis romani*, n. 68.

<sup>30</sup> Cfr. *Ibid.*, n. 288.

<sup>31</sup> *Ibid.*, n. 298.

<sup>32</sup> Cfr. *Constitutio de sacra Liturgia Sacrosanctum Concilium*, n. 128; A. A. S. 56 (1964), pp. 132-133.

<sup>33</sup> Cfr. *Institutio generalis Missalis romani*, n. 304.

<sup>34</sup> Cfr. *Ibid.*, n. 260.

Non celebretur, quantum fieri potest, in cenationibus, aut supra mensam cibarium.

10. In exsequenda instaurata Liturgia, maxime curent Episcopi de stabili et digna loci sacri, praesertim presbyterii, dispositione, iuxta normas Institutione generali Missalis romani<sup>35</sup> et Instructione *Eucharisticum mysterium*<sup>36</sup> significatas.

Dispositiones, bis proximis annis ad tempus inductae, eo interdum tendunt, ut stabilem formam induant. Quarum nonnullae, quas *Consilium* improbavit, adhuc permanent, etsi sensui liturgico, elegantiae et ipsarum sacrarum celebrationum facilitati et dignitati repugnant.<sup>37</sup>

Commissionibus dioecesanis pro Liturgia et Arte sacra elaborantibus, necnon, si necesse est, viris peritis et publicae rei Auctoritatibus consultis, novorum operum delineata exemplaria atque temporariae dispositiones recognoscantur, ita ut in omnibus ecclesiis stabilis dispositio obtineatur, quae vetera monumenta, si forte adsint, conservet et, quantum fieri potest, novis necessitatibus congruat.

11. Ad intellegendam instauratam Liturgiam magnum adhuc exiguntur studium, ut libri liturgici recogniti accurate in sermones vulgares convertantur atque edantur. Ex integro ipsi transferendi sunt, atque ceteros peculiares rituales libros, qui prius in usu erant, abrogare debent.

Si Conferentia Episcopalis alias formulas addi necessarium opportunumque duxerit, aut quasdam accommodationes afferre, hae post Sanctae Sedis approbationem inducantur, et a primigeno textu latino peculiaribus notis distinguantur.

In hoc genere opportunum erit non festinanter procedere, adiutrice multorum opera, non solum theologorum et rei liturgicae peritorum, verum etiam disertorum et litteratorum hominum, ut translationes sint probatae pulchritudinis documenta, quae decore, numero, elegantia, orationis et sermonis copia, diuturnum usum promittere possint, penitus cum interiore sententiarum copia congruentia.<sup>38</sup>

In libris autem liturgicis lingua vernacula apparandis, norma tradita servetur textus edendi, ita tamen ut interpretum aut auctorum nomina non cognoscantur. Libri enim liturgici communitati christiana desti-

<sup>35</sup> Cfr. nn. 253-280.

<sup>36</sup> Cfr. nn. 52-57: *A. A. S.* 59 (1967), pp. 567-569.

<sup>37</sup> Cfr. Epistola Em.mi Card. I. Lerearo, Praesidis «Consilii ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia», ad Praesides Conferentiarum Episcopali, data die 30 iunii 1965: *Notitiae* 1 (1965), pp. 261-262.

<sup>38</sup> Paulus VI, Allocutio ad Commissiones liturgicas Italiae, die 7 februarii 1969: *L'Osservatore Romano*, 8 febbraio 1969.

nantur et solum mandato et auctoritate Hierarchiae parantur et evulgantur; neque haec consentioni privatorum, quovis nomine, est obnoxia: quod libertatem auctoritatis et dignitatem Liturgiae offenderet.

12. Experimenta in re liturgica, si quae necessaria vel opportuna visa fuerint, ab hac Sacra Congregatione unice conceduntur, et quidem scripto, certis ac definitis normis, et sub responsabilitate competentis auctoritatis localis.

Ad Missam vero quod attinet, omnes facultates experimenta exsequendi, intuitu instauracionis peragendae concessae, vim suam amisisse censendae sunt. Edito enim novo Missali romano, normae et forma celebrationis eucharisticae eae sunt, quae per Institutionem generalem et Ordinem Missae traduntur.

Aptationes, de quibus in libris liturgicis agitur, ipsae Conferentiae Episcopales pressius definiant et Apostolicae Sedis confirmationi subciant.

Si adhuc amplioribus aptationibus, ad normam n. 40 Constitutionis *Sacrosanctum Concilium*, opus fuerit, Episcoporum Conferentia rem penitus perspiciat, ingenium et traditiones cuiusque gentis ac peculiares necessitates pastorales expendens. Si opportunum videtur ut quaedam experimenta fiant, eorum limites accurate definiantur: in coetibus ad id aptis fiant, per prudentes viros speciali mandato designatos. In magnis celebrationibus ne peragantur, neque eorum notitia divulgetur; sint numero arctius circumscripta, neque ultra annum protrahantur. Postea res ad Apostolicam Sedem deferatur. Non licet, dum Apostolicae Sedis responsum exspectatur, petitas accommodationes in usum inducere. Cum autem agitur de structura rituum vel partium ordine, quae in libris liturgicis statuta sunt immutandis, aut de aliqua re a tradito more aliena vel de novis textibus inducendis, antequam cuiusvis generis experimenta inchoentur, schema, omnibus punctis definitum, Apostolicae Sedi proponatur.

Haec est agendi ratio, quae tum a Constitutione *Sacrosanctum Concilium*,<sup>39</sup> tum rei momento requiritur ac postulatur.

13. Denique reminiscendum est universam Ecclesiam instauracione liturgica, quam Concilium statuit, attingi: sed haec postulat ut in pastoralibus conventibus simul ratione et usu consideretur, ad christianam populi institutionem, ut Liturgia fiat vivida, animi sensus percellens iisdemque accommodata.

Praesens instauratio liturgicam precem proferre contendit, e viva et vetustissima spirituali traditione exortam. Et cum profertur, ipsa mani-

<sup>39</sup> Cfr. n. 40: *A. A. S.* 56 (1964), p. 111.

testanda est ut opus totius populi Dei, in suis diversis ordinibus et ministeriis constituti.<sup>40</sup> Tantummodo enim in hac totius compaginis ecclesialis unitate certa servatur vis et authenticitas.

Pastores igitur potissimum, alacri observantia legum et praeceptorum Ecclesiae et spiritu fidei moti, atque propensiones peculiares et placita singularia deponentes, sint ministri Liturgiae communis proprio exemplo, per vestigatione atque intellegenti et perseveranti docendi officio, illud florens ver parantes, quod ex ea instauratione liturgica desideratur, quae nostri temporis necessitates respiciat, et a formis saecularibus et arbitriis, quae graviter eam imminuant, sit aliena.

Hanc Instructionem, quae de mandato Summi Pontificis a Sacra Congregatione pro Cultu Divino composita est, ipse Summus Pontifex PAULUS VI, die 3 mensis septembris huiusce anni approbavit et auctoritate Sua confirmavit, mandans ut in vulgus emitteretur, atque ab omnibus, ad quos spectat, servaretur.

Ex Aedibus Sacrae Congregationis pro Cultu Divino, die 5 mensis septembris anno 1970.

BENNO Card. GUT *Praefectus*

H. Bugnini *a Secretis*

<sup>40</sup> Cfr. *Institutio generalis Missalis romani*, n. 58.